

judicium; unde resultat denominatio in re objecta, ut dicatur objective esse, seu tangi ab intellectu. Unde hoc non est esse medium, quo veritas ad intellectum transit, sed potius est denominatio consecuta, et per modum effectus relictæ.

XIII. Ad auctoritates D. Thomæ respondetur. Ad primam quod D. Thomas in eodem loco citato, scilicet capite LIX in fine, et in c. LX dicit, quod veritas est perfectio, seu bonum quoddam intellectualis operationis, et sic non ad objectum ipsum, seu conceptum objectivum, sed ad operationem, quæ pertinet ad conceptum formalem refert veritatem. Quando ergo in prioribus verbis docet quod veritas in intellectu pertinet ad id quod intellectus dicit, non ad operationem, qua id dicit, sensus est quod non pertinet hæc adæquatio ad ipsam operationem ratione suæ entitatis, quia hæc spiritalis, et intentionalis est, nec semper adæquatur rei, quæ materialis esse solet. Unde in adæquatione entitatis conceptus cum entitate rei in se non potest veritas consistere, sed in adæquatione, et conformitate iudicii ut cognoscentis et tangentis rem. Et hic sensus manifestus est in ipsis verbis S. Thomæ, dicit enim quod: « Non pertinet veritas ad operationem intellectus, quia non exigitur quod ipsum intelligere rei æquetur, cum res interdum sit materialis, intelligere vero immateriale; » quod aperte procedit de ipsa adæquatione conceptus, seu cognitionis quantum ad entitatem suam. Cum autem subdit: « Quod illud quod intellectus dicit et cognoscit, oportet rei esse æquatum, » manifestus est sensus, quod id quod dicit oportet rei esse æquatum ratione ipsius cognitionis, seu dictionis exprimentis, non ratione solum rei expressæ, et objective affectæ.

XIV. Instabis: Si ita intelligen-

mus est D. Thomas, ergo male infert quod in simplici intelligentia Dei invenitur veritas ex eo quod licet in re non sit compositio, et divisio, tamen id quod intellectus divinus intelligendo dicit, est compositio, et divisio; sed compositio, et divisio quam intellectus divinus dicit, et intelligit, est aliquid objective intellectum, et cognitum: ergo ponit D. Thomas veritatem in conceptu objectivo.

XV. Respondetur illationem D. Thomæ optimam esse, quia divina intellectio licet in se sit simplicissima, virtualiter tamen est compositiva, quia ipsam compositionem ex parte rei cognitæ attingit, et dijudicat. Unde in se habet adæquationem veritatis ipse conceptus formalis Dei quatenus iudicativus, et virtualiter compositivus, quia non consistit hæc veritas in adæquatione entitatis ipsius conceptus cum re cognita, ut dictum est, sed in conformitate cognitionis exprimentis, et iudicii, ut attingit compositionem, quod habet intellectus divinus, quia eminenter compositivus est.

XVI. Ad secundum locum S. Thomæ, respondetur, quod in illo opusculo (quod non est omnino certum ipsius esse) refert duas opiniones de veritate, et utramque probabilem reputat, nec de illis determinat, sed tantum refert illas, aliam quæ dicit quod veritas est primo inter rem objective affectam, et seipsam in re, licet etiam non neget esse in ipso actu intellectus; aliam quæ dicit, quod veritas est conformitas ad rem informatam similitudine. Et juxta priorem loquitur in verbis relatis in argumento. Quia vero ibi non determinavit de his duobus opinionibus, quia ibi solum logicum agebat, nec erat locus hoc determinandi, ideo solum utramque retulit, et juxta illas locutus est de veritate. In aliis tamen locis, quæ supra retuli-

mus determinavit veritatem esse in ipsa cognitione, et iudicio, quatenus reddit intellectum cognoscentem veritatem, quod non nisi de cognitione, et conceptu formali intelligi potest. Et ideo his locis standum est.

SECUNDA DIFFICULTAS.

AN VERITAS FORMALIS SIT ALIQUID ABSOLUTUM, VEL RESPECTIVUM SUPERADDITUM ACTUI INTELLECTUS?

XVII. Actus cui convenit veritas formalis quis sit, an compositio, et divisio, an simplex intelligentia, et in ipsa compositione, et divisione, an sit enuntiatio, vel iudicium sequenti articulo disquiretur. Nunc solum inquirimus quid veritas addat super illum actum in quo est, quicumque actus ille sit: nam addere aliquid præter ipsum actum, non potest negari, cum contingat eandem orationem mutari de vera in falsam, ut docet philosophus in capite de substantia. Aliquid ergo est veritas, et falsitas præter orationem de quo etiam videri potest D. Thomas in I, dis. XIX, q. v, art. III ad v et in hac quæstione, art. VII ad III et supra q. XIV, art. v. Difficultas est quid sit illud quod contingit mutari in oratione, cum transit de vera in falsam et e contra, nam si est aliquid absolutum superadditum actui intellectus, et non facile explicatur quid sit præter ipsam attingentiam actus ad objectum; si vero est aliquid relativum, et est rationis, veritas non erit perfectio actus intelligendi; si reale, non manebit veritas transeunte objecto, quia ad terminum non existentem realis relatio non datur, nisi sit transcendentalis, quæ est ipsa entitas actus, et hæc non mutatur.

XVIII. In hac parte triplicem invenio sententiam. Prima, quæ attri-

buitur Soncinati VI met. q. XVII, quod veritas formalis sit aliquid absolutum superadditum ipsi actui intellectus, quæ est perfectio simpliciter intellectus, et independens ab aliquo externo: sed Soncinas non ita independentem facit hanc veritatem, ut ab omni respectu evacuet, sed illam dicit esse relationem secundum dici.

XIX. Secunda sententia ponit veritatem solum addere relationem secundum esse, quæ est adæquatio ad rem super ipsum actum intellectus, et sic salvatur posse eandem orationem sine mutatione sui transire de vera in falsam, et e converso. Hæc pluribus Thomistis attribuitur, ut Flandriæ, Hervæo, Javello, eamque sequitur Bagnez super hanc quæstionem art. III, dubio ultimo, quamvis addat hanc relationem non semper esse realem, sed aliquando rationis, scilicet quando objectum non existit in re, quia ad terminum non existentem non terminatur relatio realis. Videatur etiam Suarez disp. VII met. sect. II.

XX. Tertia sententia est, quam tenet ipse Suarez loco citato, scilicet veritatem non esse puram relationem secundum esse superadditam ipsi actui, cum aliquando detur veritas circa objectum non existens, sed esse ipsummet actum cognitionis, transcendentali respectu tendentem ad objectum cum connotatione objecti sic se habentis in re, sicut est in iudicio mentis.

XXI. Dicendum nihilominus est, veritatem, et falsitatem non importare aliquam entitatem absolutam superadditam ipsi actui, seu iudicio rationis, neque relationem transcendentalem, quæ in se est entitas absoluta, ut dependens, vel respiciens aliud extra, sed id quod addit veritas, et falsitas formalis ad actum intellectus est relatio secundum esse: an vero sit realis, vel rationis,

et dato quod aliquando sit realis, an ex defectu existentiae termini sufficiat quod sit rationis, dicemus sequenti dubio. Hæc est communior inter Thomistas, et videri potest de ea Bagnez loco citato. Et sumi potest ex variis locis D. Thomæ. Nam in I, dist. XIX, q. V, art. III ad V inquit quod: « In propositione, ut est signum talis rei, veritas est per adæquationem ad rem illam, mutata autem re, tollitur adæquatio signi ad signatum sine aliqua mutatione ipsius signi, quod manifestum est in relationibus posse contingere, unde veritas enuntiationis non manet, » ubi manifeste D. Thomas ponit veritatem propositionis in relatione aliqua secundum esse, quia dicit sine mutatione ipsius signi per solam mutationem termini posse desinere hanc adæquationem, quia sic contingit in relationibus: non contingit autem sic nisi in relationibus secundum esse; relationes enim secundum dici, aut transcendentales manent, etiam objecto non existente, sicut potentia respicit objectum; quia talia relativa entitative aliquid absolutum sunt, licet explicentur per relationem, et sic manent objecto non existente, et non mutantur nisi cum mutatione subjecti. Ex quo loco etiam obiter colliges, quam sit conforme menti S. Thomæ id quod diximus in logica q. XXI, art. I, quod signum consistit in relatione secundum esse, quia dicit sine mutatione signi, adæquationem ejus ad rem mutari, quod solum in relationibus secundum esse contingit. An hæc D. Thomas comparat veritatem propositionis, quæ mutatur de vera in falsam, similitudini, quæ ex veritate sui termini variatur, ut docet in hac quæstione XVI, art. VIII. Similitudo autem est relatio prædicamentalis, et secundum esse. Quare veritas formalis aut falsitas non importat aliquid su-

peradditum actui per modum entitatis absolutæ, nec solum ipsum actum qui in se aliquid absolutum est cum connotatione objecti sic in re inventi, sicut est in iudicio mentis, sed in relatione aliqua secundum esse, quæ mutari potest ipso iudicio, seu actu intellectus invariato. Nec sola extrinseca connotatio sic habet locum, ut statim ostendemus, et D. Thomas in præsentis articulo VI ad I, docet quod veritas est perfectio intellectus, sicut scientia: si autem solum adderet connotationem extrinsecam objecti super ipsum actum, non importaret perfectionem intellectus, seu actus ejus. Similiter docet quod una opinio potest mutari de vera in falsam, eadem opinione manente, per mutationem objecti: si autem solum adderet extrinsecam connotationem objecti, non diceretur mutari propositionem ipsam in se, quia illa extrinseca connotatio nihil ponit in propositione, et actu mentis.

XXII. Fundamentum hujus sententiæ, quantum ad hoc quod veritas non sit aliquid absolutum superadditum actui, nec relativum transcendentale, aut secundum dici, ex eo sumitur, quia veritas illa formalis talis conditionis est, quod ex sola objecti mutatione potest variari in falsitatem, ut philosophus docet in capite de substantia, quia oratio sine mutatione sui suscipit veritatem et falsitatem, ut si aliquis affirmet Socratem sedere ipso sedente, et perseverando in tali actu, Socrates non sedeat. Si autem mutatur per solam objecti mutationem: ergo non potest veritas addere super actum intellectus aliquid omnino absolutum, et independens ab omni intrinseco, neque aliquid relativum secundum dici, vel transcendentale, quia in re tale relativum est aliqua entitas absoluta ordinata, vel dependens ab aliquo extrinseco, quæ ta-

men non mutatur ex mutatione sola illius extrinseci, sed ipso desinente potest manere, ut constat multis exemplis, sicut scientia et potentia, materia et forma, et alia multa similia quæ relative dicuntur sub respectu transcendentali, et illum retinent, etiamsi terminus non existat: nec enim variantur ex termini variatione, quia in sua entitate, et de se semper ordinantur ad illum: ergo si oratio mutatur de vera in falsam, et e contra, solum ex variatione termini, manifestum est non consistere formaliter in relatione secundum dici, aut in aliquo absoluto, sed in respectu secundum esse.

XXIII. Et confirmatur, quia iudicio stante rerum, producto actu ejus in intellectu, potest mutari de vero in falsum, et advenire ea veritas, vel tolli, ut ostensum est, nihil autem absolutum, sive quoad entitatem, sive quoad modum potest advenire illi actui semel producto, nisi nova elicientia intellectus detur: ergo non potest veritas illa superaddere aliquid absolutum, vel relationem secundum dici ad actum intellectus. Minor probatur, quia talis modus, vel entitas absoluta, si detur in actu, debet vitaliter in illo produci, atque conjungi, nec enim illi advenit tamquam rei inanimi, ergo indiget elicientia vitali, ut actus procedat cum illo vitali modo, seu entitate, et sic cum ille actus mutat veritatem, aut falsitatem, oportet quod mutet elicientiam, et vitalem processum, ut ei conveniat talis entitas vel modus de novo; mutata autem elicientia, mutatur actus, saltem numero, quia procedit per distinctam emanationem, et ipse actus elicientiæ vitalis est; ergo non potest veritas consistere in tali entitate superaddita actui, et ipso immutato variari, nisi sit relatio secundum esse, quæ resultare potest, aut desi-

nere in actu vitali sine nova elicientiæ vitali, sed solum ex mutatione termini quem respicit.

XXIV. Quod autem non sufficiat sola connotatio extrinseca objecti sine relatione superaddita probatur, quia illud objectum se habet ut terminus cui adæquari, et conformari debet actus iudicii in ratione veritatis, et se habere ad illud ut mensuratum ad mensuram: ergo repugnat quod hoc fiat sola connotatione extrinseca sine reliqua relatione interveniente, quia ordo ad mensuram relatio est, non connotatio tantum.

XXV. Et confirmatur, quia repugnat quod aliquid importet connotationem alicujus extrinseci sine relatione aliqua ad ipsum, vel e converso: nam ubi est connotatio alicujus extrinseci, ideo est, quia illud extrinsecum pertinet aliquo modo ad se, et ordinatur ad se, vel e converso aliquid ordinatur ad ipsum. Quod non potest intelligi sine aliquo respectu, vel reali, vel rationis, vel sine aliqua dependentia, aut ordine inter hoc, et illud; nam etiam in Deo, cum aliquod attributum connotet creaturas, v. g. providentia, justitia, potentia, intelligitur hæc connotatio cum aliquo respectu ex parte creaturæ reali: ex parte Dei, rationis: et hoc ideo, quia nihil aliud exigitur ad fundandum respectum, et relationem, quam similis dependentia, vel connotatio, aut conditio requisita alicujus extrinseci: relatio enim, et respectus ubicumque unum est alterius, seu ad alterum pertinet, sufficienter fundatur: ergo cum connotatio alicujus extrinseci, non possit intelligi, nisi quia hoc pertinet ad illud, vel est aliquid ejus, non potest connotatio intelligi respectu alicujus extrinseci sine aliqua relatione sive reali, sive rationis. Veritas autem nostri intellectus cum sumatur a rebus, et mensuretur per illas,

non potest dici quod illas connotet sine aliquo respectu, aut dependentia ab illis. Veritas autem Dei non pendet a rebus, sed res ab illa, et ex parte rerum datur relatio realis ad eam, ex parte divinæ veritatis solum est respectus rationis, quia non per dependentiam, sed per eminentiam super res, connotat illas.

XXVI. Objicies primo: Ad probandum quod veritas formalis debet dicere aliquid absolutum, aut si est respectivum, illud est transcendente, et secundum dici. Nam ut supra videmus ex Divo Thoma, veritas est magna perfectio mentis, cum finis ejus sit veritatem attingere, et tanto aliquis perfectior est, quanto verior in intelligendo, et dicendo; ergo non potest veritas consistere in sola relatione prædicamentali. Consequentia patet, tum quia relatio secundum purum respectum, aut non dicit perfectionem, aut minimam inter omnes: ergo non potest tanta perfectio quanta est veritas in pura relatione consistere; tum quia ipsa enuntiatio, et actus judicii secundum se dicunt ordinem transcendentalem ad objectum: ergo si veritas est major perfectio, et ultima perfectio quod potest habere judicium, a fortiori non est pura relatio sed aliquid absolutum.

XXVII. Confirmatur, quia si aliquid obstaret, maxime ratio supra adducta, quia mutatur propositio de vera in falsam, non mutato ipso actu judicii vitaliter, et sic solum potest mutari penes relationem, non penes aliquid absolutum; hæc autem ratio est nulla, quia necessario debemus fateri quod non mutatur sola relatio, sed etiam fundamentum ejus, quod utique aliquid absolutum est. Et hoc patet, quia quando mutatur propositio de vera in falsam, non solum desinit ipsa relatio veritatis, ad quod sufficeret sola termini desitio, sed etiam mutatur in op-

positam, scilicet in falsitatem: ergo oppositum fundamentum requirit, sicut cum mutatur actus de bono in malum morale, non sola relatio bonitatis mutatur, sed etiam fundamentum; ergo si idem actus mutari potest quoad aliquid absolutum, sine hoc quod nova elicentia ejus detur ex hoc parte non repugnabit quod veritas quæ sic mutatur in ipso actu, sit aliquid absolutum.

XXVIII. Respondetur quod quando veritas dicitur magna perfectio intellectus, aut etiam ultima, non debet sumi pro sola relatione adæquationis, sed pro ejus fundamento, et pro certitudine atque evidentia qua attingitur veritas, sic enim non solum opponitur falsitati pro inadæquatione, sed etiam ignorantia, seu deceptioni: sola autem et nuda relatio veritatis non est ipsa perfectio intellectus, sed quid consecutum ad ipsam. Et hujus manifestum signum est, quia veritas et falsitas pro sola relatione, fortuito, et casualiter possunt convenire judicio, et mutari ipso etiam ignorante, et non advertente, ut si quis formet hoc judicium Petrus loquitur, et ipso nesciente, cessat loqui, veritas mutatur in falsitatem, et sic in reliquis veritatibus contingentibus, quia etiam sine propria advertentia potest objectum mutari, et tamen actus, qui antea erat, continuari; et hoc ipso desinit esse verus: ergo hoc præcise non est magna perfectio, si sumatur solum pro relatione adæquationis, vel inadæquationis. Unde patet ad primam probationem: nam relatio secundum se est minimæ entitatis, sed in suo fundamento potest esse magnæ perfectionis, sicut relatio causæ, relatio domini, relatio patris, etc. Ad secundam probationem quod ille actus judicii ut conformabilis rebus per intelligentiam, et manifestatis eorum, est fundamentum relationis veritatis: unde non est necesse quod

veritas addat super hoc majorem perfectionem absolutam, sed respectivam: veritas autem cum dicitur esse tam magna perfectio, non sumitur pro sola relatione adæquationis, sed pro ipsa cum suo fundamento manifestationis ut conformabilis rebus in se.

XXIX. Ad confirmationem respondetur quod quando propositio mutatur de vera in falsam, vel e converso per solam mutationem objecti, sine nova advertentia, vel judicio, solum mutatur relatio, et ratio proxima fundandi, quæ est illa applicatio commensurans unum alteri, licet ipsa entitas actus in se non mutetur. Et hoc modo bene contingit mutari unam relationem in suam oppositam ex sola mutatione termini, quatenus inde resultat opposita ratio proxima fundandi et applicandi fundamentum termino, sicut patet in relatione æqualitatis, et similitudinis: nam si duo sunt similia, aut æqualia, mutato termino, non solum potest desinere relatio similitudinis, sed etiam transire in relationem dissimilitudinis, vel inæqualitatis, ut si terminus non pure desinat, sed in oppositum mutetur, et idem est de quacumque alia relatione adæquationis, vel inadæquationis, qualis est relatio veritatis, aut falsitatis. Et hoc ideo, quia tales relationes non fundantur in quantitate, vel qualitate rei ut absolute est in uno extremo, sed ut conveniens, aut comparata cum alio: unde si in oppositum mutetur terminus, resultat diversa comparatio, seu convenientia, et consequenter opposita relatio.

XXX. Secundo objicies: Nam, ut diximus in logica q. xxiii, art. i, verum et falsum non ponunt mutationem intrinsecam in oratione, intuitivum autem, et abstractivum ponunt talem mutationem, licet accidentalem ipsi actui: ergo veritas, et

falsitas non consistit in aliquo intrinseco, etiam per modum relationis in ipso judicio. Imo D. Thomas opusc. XLVIII, tractat. de enuntiat cap. iv, aperte dicit veritatem, et falsitatem esse accidentia rationis, et nos ex ipso id diximus in summulis q. v, art. i, conclus. iii, ergo non potest consistere veritas formalis in aliqua relatione reali.

XXXI. Confirmatur argumento supra insinuato, quia veritas enuntiationis aliquando est circa rem non existentem, vel abstrahit ab omni existentia, sicut sunt omnes propositiones veritatis æternæ; et tamen illæ sunt formaliter veræ: imo maximæ, et immutabilis veritatis: ergo remota omni relatione reali, et intrinseca, manet veritas formalis.

XXXII. Respondetur quod in illa quæstione xxiii logicæ negavimus verum, et falsum importare aliquid intrinsecum in propositione, per modum novæ attentionis, et actus, sicut exigit intuitiva notitia respectu abstractivæ, non per modum relationis eidem judicio advenientis: nec enim potest aliquis de novo intuitivam notitiam habere sine aliqua nova advertentia, aut attentione ad id quod vitet; potest tamen propositio amittere veritatem sine ulla advertentia nova, sed per solam termini mutationem, stante continuatione ejusdem judicii. Quod totum videri potest q. xxiii, circa. art. i, §. Hæc sententia. Et in eadem logica q. xv, art. v, respondimus quod oratio susciperet verum, vel falsum, vel solum secundum conformitatem, et difformitatem (quod ad relationem pertinet) vel secundum aliquem modum vel perfectionem superadditam, ut juxta omnes opiniones responderemus, non determinando ibi sententiam de hac re, quia ibi locus non erat. Quod vero in summulis retulimus ex D. Thoma opusculo illo XLVIII,